

ista naturalia sunt determinata ad maximum et minimum secundum actum et potentiam ergo infinitum secundum potentiam non reperitur in rebus naturalibus.

Octavo si reperiretur finitum maxime esset in divisione magnitudinis sed hoc non igitur.

Minor patet quia omne finitum per ablationem finiti tandem consumitur ergo in dividendo magnitudinem non est processus in infinitum. Item secundum aristotelem mundus fuit ab eterno semper fuerunt homines ergo fuerunt infiniti homines et qui libet habuit animam immortalem ergo nunc sunt infinite anime. Forte dices quod una anima transiit de corpore in corpus contra secundum viam naturalem idem corruptum numero non potest redire hoc autem esset falsum si anima indifferenter posset redire ad corpus.

Nono in corpore sperico sunt infinita puncta ergo dabile est infinitum secundum multitudinem forte dices quod illa puncta non sunt ibi nisi in potentia. Contra corpus spericum secundum quamlibet partem exteriori potest tangere corpus planum ergo exterius habet infinita puncta. Item in corpore sperico sunt infinite linee recte transeuntes ab uno extremo in aliud per medium quelibet autem linea recta habet duo puncta in actu forte dices quod ibi nulla est linea in actu. Contra partes talis corporis actu continuantur ergo ibi sunt actu aliqua puncta. Item vel realiter ibi est aliqua linea. scilicet diameter vel nulla realiter. Si secundum tunc illa linea que precise dicitur esse in potentia non erit nisi ens rationis et sic in celo non esset realiter equinoctialis si dicas esse in potentia quia est in materia arguatur ergo de punctis que sunt in quantitate sacramenti eucaristie que sunt separata nec continuantur forte dices quod linea et puncta sunt ibi realiter sed non habent proprium esse existentie hoc forte verum est quia nullum accidens habet verum esse existentie tamen eo modo quo accidens habet esse punctum extremum linee et realiter distincta puncta habent diversum esse.

Decimo infinite sunt species numerorum et forte aialium quia ex commixtione diversorum sexuum generatur mulus et ita videtur posse dici de aliis scilicet de qualibet specie est unum individuum actu quia univiale est incorruptibile igitur. Item totum habet infinitas portiones ad quamlibet partem quia ad suam medietatem habet proportionem duplicem forte dices quod illa proportio non est in actu. Contra totum est in actu duplicem ad medietatem et triplicem ad tertiam partem. Item secundum aristotelem celum semper movebatur et nullus motus in eo est corruptus ergo sunt in eo nunc infinite motus. Minor patet quia motus celi non habet contrarium ergo a nullo corrumpitur forte dices quod corrumpitur ex natura rei quia est ens successivum et ideo partes eius non possunt simul manere. Contra motus localis est intensibilis et non nisi per additionem unius accidentis ad aliud primum patet quia unus motus localis est duplex ad alium. Si agens sit duplicem forte dices quod motus intenditur quia magis radicatur in subiecto. Sed contra Tunc nunquam motus violentus esset eque velox sicut motus naturalis qui maxime radicatur in subiecto suo. Item arguitur de relationibus quia si generationes semper durarent tunc etiam esse prior infinitis hominibus futuris ergo in eis sunt infinite prioritates propter hoc dicitur.

t. de veri. q. 1. ar. 5. ad 15. quod est relatio rationis. Contra cras forte est in predicamento quando ergo est relatio realis esse prius et nota quod relationes rationis sunt infinite secundum avicennam. scilicet de veri. q. 2. ar. 9. ad 4. quare ergo alie nego.

Undecimo arguitur de linea girativa capiendo columnam sex pedum habentem in latitudine unum pedem et dividatur ad ymaginationem per partes proportionabiles et capiatur linea girans primam partem proportionabilem que continuatur linee giranti et circumdanti secundam et sic in infinitum procedendo per partes proportionabiles tunc capta tota illa linea composita ex omnibus partibus girantibus omnes partes proportionabiles ipsa componitur ex infinitis partibus quarum quelibet est plus quam pedalis quia circumdat partem proportionabilem que pedalis est: forte dices quod ille partiales linee pedales non sunt in actu hoc est separate a se invicem hoc nichil est quoniam ad maius vel infinitum secundum magnitudinem non requiritur quod partes magnitudinis sint separate a se invicem alias anaxagoras et alii philosophi non posuissent unum corpus infinitum. Argumentum factum de linea girativa ab aliquibus fit de diametris infinitarum partium proportionabilium omnium girarum.

Duodecimo angulus rectus est infinitus igitur aius patet quia componitur ex infinitis acutis non communicantibus quorum quilibet est maior angulo contingente determinate quantitates ut patet ex tertio geometrie. Et per idem posset argui quod quolibet mortale est infinitum quia secundum multos in quolibet mortali sunt infinite partes quarum quilibet est gravior venali. Item in quolibet corpore pedalis latitudinis sunt infinite partes proportionabiles quarum quilibet est pedalis secundum latitudinem vel longitudinem igitur.

Tertio decimo arguitur in quolibet continuo sunt due partes eiusdem quantitatis et tres partes eiusdem quantitatis. scilicet tres. 3. et sic in infinitum ergo in quolibet sunt infinite partes eiusdem quantitatis tenet consequentia per exponentes infiniti. Item quidam probant quod aliquis motus nunc est de facto infinitus quando duo corpora dura separantur. quia immediate post hoc per totum medium erit aer sed de hoc postea. Item sint duo angeli et unus in prima parte proportionabili claudat fenestram in secunda alius aperiat et sic fiat alternatim usque ad finem hore tunc sol in hac hora infinites producet lumen novum in hac camera quia semper fuit corruptum claudendo fenestram vel fiat de sole quem deus in qualibet parte proportionabili giret circa terram vel conservet deus omnia puncta extra subiectum sine linea tunc omnia sunt in actu ergo infinitum est possibile. **A**d primum dicendum quod infinitum in potentia est passio quantitatis et tale est ens actu existens licet non sit actu infinitum et non loquimur hic de deo qui est infinitus negative sed de infinito privative quod convenit quantitati. **A**d aliud dicitur quod philosophicus habet tractare de infinito ut est passio quantitatis. Sed contra quantitas pertinet ad mathematicum ergo est infinitum. Dicendum quod infinitus hic consideratum non est passio quantitatis absolute scilicet ut est dispositio rerum naturalium.

Ad secundum dicitur quod de non ente non est scia scilicet quod sciat esse sed negative vel dicitur quod infinitum est